

B

154



~~100~~  
100

U. q. 17, 2



6  
D. O. M. A.

DE

SUBSTITVTI-  
ONIBUS

*Disputatio prima*

Vulgarem in specie continens,

*Quam*

LEOPOLDUS HAKELMAN,

J. U. D. & Facultatis Juridicæ Ordiniarius

*Ad*

*Diem 20. Junij*

hora & loco consvetis

publicè examinandam proponit,

*Respondente*

CHRISTOPHORO PINCKERO

Misnensi, L. L. Studioſo.

LIPSIÆ,

TYPIS NERLICHIANIS.

EXCUDEBAT JOHANNES HERMANNUS.

Anno 1616.

926



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and includes the following elements:  
D. O. M. A.  
ST. BOLLIV  
O M I S U S  
THEOPHILUS  
M. D. C. C. L. I. I. I.  
L. P. S. I. I.  
The text is arranged in several lines, with some words appearing in larger, possibly decorative, fonts. The handwriting is somewhat faded and difficult to decipher due to the bleed-through effect.







## EXORDIUM.



Testamenta ex heredum defectu, quod institutus vel hereditatem omitteret, vel moreretur, fierent irrita, idè post institutionem substitutio est introducta. Quæ ut nobilis & insignis est materia, ita infinitis difficultatibus plena. Ideoq; Oceano & magno mari comparatur, in quo sunt reptilia sine numero, (a) unde natare non licet, nisi methodo *ὀπισθὸν* transeamus. (b) Et primum generalia substitutionum proponemus, postea de speciebus singulis, & nunc de vulgari disquisitionem instituemus (c)

- (a) Alber. de Ris. Gomez. tom. 1. resol. c. 3. Paull. Leon. in prælad. Subst. Zasius in epistola, quam præmisit huic materie. Alex. Trentac. in pr. Dauth. in præmisu, ubi encomia hujus materie ex variis autoribus collegit, & Wesenb. sentent. reprobavit.
- (b) Quam methodum commendat Wesenbecius in libello de studio juris rectè instituendo, fol. mibi 45.
- (c) l. ff. si certum petatur, quæ habet, quod ad cognitionem specierum præcedere debeat cognitio generis, Bl. in comment. de pign. & hypoth. c. 1. in pr.

## THESIS PRIMA.

Quia verò Substitutionis verbum, sicut & Institutionis, *ὀμώνυμον* est, & variis rebus jungi potest: (a) Ita etiam in genere accipitur pro institutione ulteriore loco facta, & fideicommissum, (b) legata, (c) atq; donationes (d) complectitur.

A e

l. agri



- (a) l. agri usufructu 18. l. vel inutilium 69. ff. de usufr. l. in fraudem 48. § pen. ff. de iure fisci. § sed si gregis 38. Inst. de R. D. l. pen. ff. Ind. solvi. Antonius Faber in conjecturis lib. 15. c. 10. Schifferdeek. in tract. 6. lib. 2. q. 1. Dd. ad rubr. hic. l. 1. § deinde, ff. de O. I. l. ex hoc 5. ff. de Iust. & Iure.
- (b) l. cum proponas 16. C. de pactu verb. precariam substitutionem, l. generaliter 6. § cum autem C. de Inst. & subst. ubi aliquoties fideicommissum substitutio dicitur. l. Scævola 76. ad SC. Trebell. l. de fideicommissio 11. C. de Transact. c. si pater de Test. in 6.
- (c) l. si quis 8. § certam 4. de leg. 2.
- (d) l. Ei cui 10. ff. de mort. causa don. l. 1. C. eod. l. quoties principali 13. C. de fideicommiss. l. quoties 3. in pr. C. de don. quæ sub modo, & c. l. Ea lege 3. C. de cond. ob causam l. Si ita quis 135. § ea lege 3. ff. de V. O. l. ut heredibus 50. de leg. 2. Petrus Antonius de Petra de fideicommissis, q. 1. Et non tantum vulgaris & pupillaris substitutio est sequens disponentis institutio, sed etiam fideicommissum & legatum.

### I I.

Et fieri potest ab omnibus, qui liberam rerum suarum administrationem habent, (a) contrahere (b) & testamenta vel codicillos (c) facere possunt. Et vel verbis directis, vel obliquis, inflexis & precariis. Interdum etiam communibus. (d) Unde alia substitutio dicitur directa, alia fideicommissaria, obliqua vel precaria.

- (a) de qua re in tractatu de testamentis.
- (b) d. l. quoties 3. C. de don. quæ sub modo, l. in donationibus 12. C. ad L. Falc. l. sed usufructus 81. § dos relegata. ubi Br. ff. ad L. Falc.
- (c) l. si quis 3. & passim ff. de Iure Codicill. Petrus Greg. Tholos. in Syntag. Iuris c. 28. n. 4. lib. 42.
- (d) vid. infra th. 5.

### I I I.

Dicuntur autem verba directa, quæ sui natura important, ut ille cui relinquitur, de manu sua testatoris here-



hereditatem vel partem ejus accipiat, nec ad alterius factum respicit: (a) Vel quibus jus hereditarium ipso jure transfertur absque ulla petitione (b) per verba: adjicio, (c) addico, (d) assigno, (e) dominus esto, (f) heres esto, (g) cum similibus, ut sunt: volo, mando, cupio, heredem esse jubeo, facio. (h)

- (a) l. eam quam 14. C. de fideicom. l. omne verbum 2. C. comm. de leg.  
 (b) l. verbis civilibus 7. & ibi Zas. n. 3. ff. h. t.  
 (c) l. ergo 4. § illud videamus 3. cum seqq. ff. de fideicommiss. libert. l. ea qui solvendo 88. de her. inst.  
 (d) t. t. Inst. de eo, cui libertatis causa, & c.  
 (e) § fin. de off. Jud. t. t. Inst. de assign. libert.  
 (f) l. his verbis 48. de her. inst.  
 (g) l. obvenire 130. ff. de V. S. Trentac. p. 4. c. 7. Intrig. cent. 3. q. 30. cum seqq.  
 (h) Menoch. de presunt. lib. 4. p. 2. pres. 55.

#### I V.

Obliqua, flexa vel precaria sunt, quæ denotant, quod substitutus hereditatem de manu alterius capere debet, vel quæ requirunt factum alterius ad transferendum jus in alium, (a) ut: des illi hereditatem, (b) distribue, (c) redde, (d) restitue, (e) si bona conservare non poteris, proximis in familia offeras, vendas. (f)

- (a) l. usufructus 9. Vsufr. quemadmodum caveat. Trentacin. Intrig. & Dd. dictis locis.  
 (b) l. fundi 38. & ibi gl. de usufr. leg.  
 (c) l. cum quidam 24. de leg. 2.  
 (d) l. Verbum reddendi 94. de V. S.  
 (e) l. coheredi 41. § quod si heredem 4. h. r. l. 3. C. de jure deliberandi.  
 (f) fac. l. fideicommissa 11. § hæc verba 9. de leg. 3. juncta l. un. in pr. C. de cad. toll.

Com.



V.

Communia verba sunt, quæ habent utrunque sensum, & stant æquè propriè tam sub significatione directa, quàm obliqua, ut est verbum, veniat, (a) per-veniat, (b) revertatur, (c) devolvatur.

(a) Dd. allegati.

(b) l. pen. ff. §. filiafamilias 2. & §. mulier 4. sol. matr. l. de emancipati. 13. C. de leg. her.

(c) c. 1. Qui feuda dare possunt.

(d) l. si infanti 18. § 1. C. de jure delib.

VI.

Et quamvis interpretes nostri existiment, discrimen verborum directorum, inflexorum vel precari-orum in substitutione per l. quoniam 15. C. de Testam. sublatum esse, contrariam tamen sententiam, quod hodiè etiam hæ formulæ considerandæ sint, veriore arbitramur. Directò enim institutus vel substitutus propria autoritate hereditatem totam capere potest: (a) In obliqua tenetur expectare restitutionem ab herede, (b) detracta Trebellianica, (c) & in liberis ex Juris Canonici autoritate duabus quartis. (d) In dubio verò consilium & voluntas Testatoris diligenter ponderanda & pro directa substitutione, quæ propriè substitutio dicitur, alia ratione non svadente, pronunciandum existinamus. (e) Quò etiam verba communia referimus.

(a) Nec requiritur factum alterius, per all. in th. 3.

(b) l. ex facto 17. l. restituta 37. ff. ad SC. Trebell. l. precibus 8. C. de Imp. & al. subst. Paulus Leont. de compend. n. 34.

(c) r. r. ad SC. Trebell.

(d) c. Raynutius X. de testam.

(e) c. si pater, vers. cum in substitutionibus de Test. in 6. Trentatin. c.

11. n.



V I I.

Causæ veræ & naturales substitutionum sunt, ut bona in familia, & amor inter virum & uxorem conferretur, item hereditas non acquisita ad nutum deficientis deferatur, & filij casus fortuitus & mors si intervenerit, hereditas successorem habeat. (a) Hæ causæ dicuntur etiam casus primus (b) qui non aditæ hereditatis est, & continet extremum negativum, ac ipsum institutum: secundus acquisitæ hereditatis & impuberis filij obitum respicit. Mortis verò nomen quomodo hîc accipiat, inter Dd. non convenit. Nos non modò de morte naturali, sed etiam violenta per occisionem vel decapitationem accipimus, quando cunq; fit corporis ac animæ separatio, non autem de civili, puta deportatione vel simili. (c)

(a) l. cum ex filio 29. § filio, l. jam hoc 4. ff. h. t. l. humanitati 9. C. de Imp. & al. subst. Dd. d. text. & in l. fin. C. de pact. Gomez. tom. 1. c. 3. n. 2. l. Statius 48. § Cornelio, ff. de jure fisci. l. un. § sin autem aliquid 7. C. de cad. toll.

(b) l. Lucius 45. in pr. ff. de vulg. & pup. subst.

(c) l. ex ea parte 112. § in insulam 2. de V. O. l. cum pater 77. § hereditatem, de leg. 2. l. ex factis 17. § 5. Ad SC. Trebell. Trentac. p. 4. c. 6. n. 3. Intrig. q. 51. n. 18. & seq. & quest. 63. Schurffius cons. 82. cent. 3. Pileus decis. q. 3.

V I I I.

Hunc acquisitionis modum Jurigentium ratione originis adscribimus, sed formæ respectu Juri civili.

l. 1. §. deinde, de O. I. Sic actionum & obligationum origo Jurigentiam est, ut & Testamentum, licet quoad formam Juri civili sit. Gædd. in prælud. comment. p. 1. q. 3. & p. 3. q. 3. l. 1. & 2. C. quæ sit longa consuetudo, l. non omnium 20. C. de ll. l. quod verò 14. cum l. seq. l. Namque ait Pedius 13. eod. Et



Et hæc in genere de Substitutionibus.

I X.

Per se autem & in propria significatione definitur Substitutio heredis institutio secundo, tertio vel ulteriori gradu facta. (a) Quæ etiam sub nomine Substitutionis in artis significatione (b) & juris effectû fideicommissum & institutionem non continet, sive in statutis, (c) testamento vel alia quacunq; dispositione reperiatur.

(a) l. 1. verb. substituti secundo vel tertio gradu, l. quo gradu 13. l. ex factō 43. § Lucius Titius 2. h. t. l. precib. C. de impub. & al. subst. verb. secundi heredes. l. 3. C. de hered. instituend. ibi. qui noluerit vel non potuerit adire hereditatem. argumento l. hac edictali C. de sec. nupt. ubi nuptie omnes post primas contractæ dicuntur secundæ. Et omnes gradus respectu prioris dicuntur secundi. Intrig. cent. 1. quest. 2. n. 3. In quibusdam locis Gallie & Hispanie libido substituendi restricta est ad quartum usq; gradum, Greg. Tholos. p. 3. lib. 42. c. 10. Et gradus nomen hic pro ordine vel loco ponitur pr. inst. hic Giph. h. t. l. 3. § filius 2. & § inter 4. de lib. & posth. l. cum in testamento 33. de hered. inst. l. 3. § ult. & duob. seqq. ff. de injusto, rupto vel irr.

(b) Est enim propriè Substitutio artis nostræ vocabulum, qua heres in locum heredis subiicitur, l. si filius familias 5. §. 1. ff. Quod cum eo, qui in al. pot. Ibi. Effectû quodammodo heres est, l. postulante 44. §. 1. vers. nam & quodammodo, ibi. heredis loco, l. si heres ab eo 68. in pr. ibi. heredis vicefungi, l. recusare 6. §. 1. ad SC. Trebell. §. Restituta 3. Inst. de fideic. l. si necem 4. §. fin. ff. de bon. libertorum. Nov. 1. c. 1. §. 1. vers. Inordinatum: Ibi in similitudinem heredis consistit. Huc accedit diversa t. t. collocatio, & quæ habet Dauth. in tract. de substit. n. 19. Et siquidem Trentac. in pref. subst. n. 28. & post eum Intrig. cent. 1. q. 8. n. 10. asserit, substitutionis nomine etiam fideicommissum in statutis contineri, tam in odiosis, quàm favorabilibus: Tamen cum illa opinio Iuris analogiæ repugnet, & fideicommissarius quasi heres dicatur, & tantum loco heredis habeatur, d. l. recusare 6. §. 5. l. 44. §. pen.



§. pen. l. 68. in pr. a. l. SC. Treb. non immerito ab illa divortium faci-  
mus, quia & statuta strictam recipiunt interpretationem, l. ait Pre-  
tor. 3. §. Hæc verba 6. ff. de neg gest. cum sim. VVes. conf. 5. n. 43.  
Hartm. Pist. lib. 1. q. 3. n. 5. & seqq. Institutionem quoq; nomine  
Substitutionis non venire certum est, l. 1. l. ex facto 43. §. Lucius, ubi  
Substitutionem vocat secundi heredis institutionem h. t. Et substitu-  
ti dicuntur secundo gradu instituti, Ant. Fab. 5. Conject. c. ult. Gæd.  
ad l. 162. de V. S.

(c) l. & heredibus 50. de leg. 2. l. ei cui 10. ff. de don. causa mort. l. un.  
§. Sin autem 7. C. de cad. toll. Ratio, Quia institutio de heredita-  
tibus propriè intelligitur, & Substitutio regulariter institutionem  
presupponit.

X.

Divisionem Substitutionis quod attinet, alia di-  
cenda est paganica, alia militaris. (a) Illa aut vulgaris,  
aut pupillaris. (b)

(a) Duar. lib. 2. annivers. c. 7. Don. lib. 6. c. 23. ad similitudinem tit. de  
test. & mil. testam.

(b) Hoc loco de vulgari tantum. Tertiam speciem, quam reciprocam  
Substitutionem vocant, non agnoscimus, ut nec quartam, Compen-  
diosam dictam. Non enim sunt propriè Substitutionum species, sed  
tantum formule. Et si à formulis essent substitutiones distinctæ, in-  
finitæ possent earum species referri. Et hæc distributio à casibus &  
ingerentibus conditionibus est desumpta, quib. aut heres non est, aut  
si est, in pupillari ætate decedit, vel in furore. Reliquæ species hæc  
insunt.

X I.

Vulgaris igitur Substitutio ita dicta, quod Jure  
communi ex II. duodecim tabb. vulgò à quolibet testa-  
tore fiat, ne deficiente primo herede intestatus dece-  
dat, & ex l. Papia ejus bona ad fiscum deferantur, (a)  
nihil aliud est, quàm secundi heredis in primum ca-  
sum, si non vult, vel non potest heres esse, Substitutio.

(a) l. un. C. de cad. toll. & directæ vocatur, l. post aditam 5. C. h. t. Cu-  
iac. 7. observ. 6. Don. lib. 6. comm. c. 23.

X I I.

Et quilibet vulgariter substituere potest, (a) & cui-  
libet, qui hereditatis capax est, nullo ætatis, status &  
cognitionis respectu habito. (b) Et in re quavis pro-

B

pria



pria vel heredis. Etiam quot heredes velit testator, potest instituire, & quot velit, sublocare. (c)

(a) *pr. Inst. de vulg. Subst.*

(b) *l. hoc articulo 29. ff. de her. inst. Omnes enim qui rectè instituantur, iisdem etiam substitui potest, l. si is 6. h. t. l. si plures 24. ff. eod.*

(c) *l. potest 36. ff. de vulg. & pup. subst.*

### XIII.

Cæterum omnis Substitutio præsupponit heredis institutionem. (a) Quare regulariter tantum in testamento fieri potest, (b) & tabb. codicillares excluduntur. (c) Non tamen semper requiritur, ut conceptione verborum & ordinæ scripturæ Substitutio præcedat, quia ordinem intellectus potius, quam scripturæ consideramus. Si verò in codicillis facta est directa Substitutio, & certum est, voluisse testatorem codicillos, non testamentum facere, in vim fideicommissi ex comm. Dd. sententia sustinetur. (d)

(a) *Est comm. Dd. sententia. Et nomen Substitutionis hoc arguit. Dauth. q. 3. f. 603. per multos Dd. Itrig. q. 18. c. 1.*

(b) *d. l. potest quis 36. hic.*

(c) *in pr. Inst. hic §. fin. Inst. de Codicill. §. in primis 2. Inst. de fideic. hered.*

(d) *l. Scævola 76. ad SC. Trebell. l. ult. §. 2. C. de codicill.*

### XIII.

Porro vulgaris Substitutio, ratione formæ, alia dicitur simplex, (a) alia duplex. Simplex, quando verbis propriis generalibus & specialibus vel singularibus (b) expressè fit Substitutio. Duplex est, quæ ex legitima mentis interpretatione à lege inducitur & tacita vocatur. (c)

(a) *Quæ etiam mera vel expressa dicitur, l. eam 14. ibi. Simpliciter C. de fideicomm. l. inter 83. in pr. ibi. non simplex abnutivum ff. de V. O. Et hæc continet solum vulgarem, vel solum pupillarem.*

(b) *Expressis tum generalibus verbis fit, si omnes instituti heredes sibi invicem substituti essent, vel si quis cum heres non erit, reliquit substitutum. Tunc enim portio deficientis vel repudians ad eum solum spectat, qui eo tempore supervexit. Quar. in tit. subst. c. 8. Trenta-cinq.*



cinq. q. 5. n. 23. vel: Si Lucius heres non erit, Cajum substituo: Tunc specialibus fit verbis. Singularibus, quando casus singularis exprimitur, ut: Si posthumus nascatur me vivo, Sempronium substituo, l. fin. C. de posth. her. inst.

(c) sc. ex conjecturata voluntate defuncti. cum verosimile sit, si testator de altero casu cogitasset, eundem expressisset, l. jam hoc jure 3. hic. l. Titius Sejus 24. cum l. seq. ff. de her. inst. l. tractabatur 14. de mil. test. l. quamvis 4. C. de Imp. & al. subst.

#### XV.

In agnoscenda autem vulgari Substitutione duo extrema considerantur. Prius extremum obtinet respectu ejus, in cujus defunctum substituitur, & hoc semper concipitur verbis negativis vel privativis, ut: Si heres non erit, si hereditatem non adierit: Posterius verò respectu ejus, qui substituitur, & semper concipitur verbis affirmativis, ut: Heres esto, Titium substituo. Dd. in l. 1. ff. h. t. Trent. c. 2.

#### XVI.

Effectum hæc Substitutio habet, quando constat, defunctum esse testatorem, (a) delatam hereditatem (b) & decernendi tempus instituto heredi esse præfixum. (c) Et institutus heres non erit, neq; Jure civili, neq; Jure prætorio. (d) Quod vel ex defectu potentia & facultatis atq; personæ fit, cum non possit, veluti: si præmoriatur ante aditionem, (e) aut alio modo successionis incapax reddatur, (f) vel ex defectu voluntatis, si non vult esse heres, (g) sed hereditatem recusat, vel alium non fecerit heredem. (h)

(a) Quia superstitis nulla est hereditas, l. qui superstis 94. l. is qui 13. §. pen. de acquir. vel omitt. her.

(b) l. is potest 18. cum l. seq. l. in repudianda 23. ff. d. t. l. delata 151. de V. S.

(c) t. t. ff. de Iure delib. andi.

(d) l. 1. in pr. de bon. poss. & inst. eod. in pr. l. æquissimum 2. §. si duo 8. de poss. bon. secundum tabb.

(e) l. post aditam 5. C. de imp. & al. subst. argumento l. Gallus 29. §. 5. de lib. & posth. her. inst. ff.



(f) r. r. ff. de his, quib. ut indignis, & c.

(g) l. quamdiu 69. ff. de acquir. her. l. l. eres 3. C. de Imp. & al. subst. § fin. inst. de her. qual. & differ.

(h) r. r. C. de repud. vel abstin. her. juncta l. 40. si paterfamil. ff. de her. inst.

### XVII.

Et si minor extraneus delatam hereditatem repudiat, substitutus ex analogia Juris admittitur, (a) donec restitutio impetrata sit. (b) Suis verò abstinens, cum intra triennium facultatem revocandi habeat, & ex lege succedat, facit pendere jus successionis hereditarium. (c)

(a) l. quod si minor 24. §. Scævola 2. ff. de min. l. & si sine 7. §. sed quod Papinianus 10. d. r. quia hoc est extraordinarium juris remedium, l. in cause 17. ff. de min. quod non est in consideratione. Cui accedit, quod Prætor heredem facere non possit, pr. Inst. de bon. poss.

(b) l. Ergo 4. §. 1. de fideicom. libert. Quia etiam, que sunt de jure speciali, sunt in consideratione, postquam fuerunt impetrata, l. non quæcunq; §. 1. de leg. 1.

(c) l. fin. C. de repud. her. l. cum proponas 3. C. de her. inst.

### XVIII.

Pater quoq; , si filius institutus hereditatem, non relicta descendens, repudiat, substitutū excludit de Jure Cod. Quod & in matre obtinere putamus.

l. un. C. de his qui ante apert. tabb. auth. defuncto C. ad SC. Tertull. l. ult. C. de bon. que liberis. ex verisimili voluntate testatoris, qui presumitur illud cogitare, quod lex disponit, Bl. in l. precib. l. pen. in pr. C. de imp. & al. subst. Trentac. c. 6. n. 1.

### XIX.

Et quando monachus institutus repudiat hereditatē, vel non adita hereditate moritur, excluso substituto ad monasterium hereditas transmittitur.

Quia monasterium est loco filij. Auth. nisi rogati C. ad SC. Treb. & gaudet virtute transmissionis. Trentac. c. 7. n. 19. 3. In dubio pro Ecclesia judicandum, l. sunt persone 43. ff. de relig. & sumt. fun.

### XX.

Sic etiam instituto, cui datus est fideicommissarius, repudiante, is substitutum excludit. Vt.



Utr: Caius instituit heredem: Illi vulgariter Sejum substituit, Sempronium per fideicommissum substituit. Hic heres repudiat. Fideicommissarius est preferendus. Ratio, quia verba: Si heres non erit, ita intelliguntur: Si ipse non erit, vel alium heredem non fecerit, l. si paterfamilias 40. de her. inst. 2. Quia fideicommissarius effectu heres est, & ad hereditatem ex Scto Trebelliano restituendam institutum cogere potest, l. facta 63. §. Julianus 13. ad SC. Trebell. l. non iustam 4. C. eod. Intrig. cent. 2. q. 32. 3. Quia testator magis praesumitur dilexisse fideicommissarium, quam substitutum l. Publius 36. in fin. ff. de con. l. & dem.

X X I.

Regulariter quoque fiscus excludit substitutum, quando indignis auferri etiam non adita hereditas potest. (a) Illi autem, qui non vindicavit necem defuncti, demum post aditam hereditatem fiscus succedit, quo casu substitutioni per se etiam locus esse nequit. (b)

(a) t. t. ff. de his quib. ut. ind. C. eod. l. in fraudem 45. de iure fisci, ut qui sunt incapaces vel heretici, l. Manichaeos 4. C. de her. & Manich. Duar. c. 10.

(b) l. si sequens 15. ad SC. Silian. Anton. Fab. in err. pragm. dec. 38. err. 9. Chifflet. de Substit. c. 13.

X X I I.

Cæterum facit quis heredem, quando transmittit jus suum ad alios, quod ipsum fit vel ex jure patriæ potestatis, quod Sui tatis appellamus, (a) vel jure sanguinis, (b) vel ex jure deliberandi (c)

(a) l. in suis 11. de lib. & posth. l. apud hostes 8. C. de suis & leg. her. l. un. §. cum autem 13. verb. nisi quibusdam personis C. de cad. toll. l. cum in antiquioribus 19. C. de jur. delib. Ratio, Quia hereditatem ut acquistam sui transmittunt. l. idem est 12. §. cum miles, verb. perinde habendum est, de test. mil. Don. lib. 6. comm. c. 24. Anton. Fab. Err. pragm. dec. 34. err. 4.

(b) d. l. un. ubi: ne sc. nepotes ob fortuitas causas a vitâ successione defraudentur, aliq̄z adversus avitum desiderium vel institutum insperato hereditatis commodo gaudeant; C. de his, qui ante apert. tabb.

(c) Quia si quis decedit intra annum deliberandi, jus illud ad quoscunqz heredes transmittit. Ideoqz heredis heres intra tempus deliberandi decedentis propter jus transmissionis potior est substituto, d. l. un. l. cum in antiquioribus 19. C. de jur. delib. Ratio, quia (ut sapientius dictum)



*verbis: Si heres non erit, ita iudicatur, si nec alium fecerit, l. si paterfam. 40. de her. instit. 2. Quia pendente beneficio transmissionis institutus censetur superesse. Quomodo igitur, antequam primus gradus evacuatus sit, substituto locus esse poterit? Trentac. q. 7. c. 5.*

### *XXIII.*

Contingit quoque nonnunquam, ut institutus quidem heres esse possit, sed non eo modo, quo defunctus voluit, quia sit emancipatus. Et hodiè separatus à mensa & habitatione parentis, cum antea suus & in patris domicilio constitutus esset; quæritur, an taliter separatus à patre substitutum excludat? Et quidem inter Dd. ut & in aliis voluntatis quæstionibus, non convenit. Nos existimamus, hoc casu emancipationem non facere irritam institutionem: (a) Quemadmodum neque suam tollit Substitutio. (b)

(a) argu. l. Gallus 29. §. fin. de lib. & posth. & in primis Nov. 118. c. 1. cū simil.

(b) r. t. & §. Sui autem Inst. de her. qual. & diff. Et non refertur inter modos tollendi patriam potestatem. Adde Cuiac. 4. ad Afric. l. 16. de lib. & posth.

### *XXIV.*

Quomodo autem, si servus substitutus, quem liberum testator existimabat, an hereditas æquis portionibus sit dividenda, occasione §. ult. Inst. de vulg. subst. & l. si paterfam. 40. de her. inst. dubitatur. Et quamvis maxima pars mediâ viâ ingrediatur, (a) tamè injuriam, quam corrigendo textum legi faciunt, non probamus, (b) & operam dabimus, ut alia ratione antinomiam illam resolvere possimus. (c)

(a) ut in aliis & in primis in possessoris judicijs, §. cum ex aliena 25. Inst. de R. D. l. Nefennius 34. de neg. gest. Et in fideicommissis, l. heredes mei 57. §. 1. ad SC. Trebell.

(b) Cuiac. in notis ad §. ult. hic. & in recitatione solenni, d. l. si paterfamilias 40. & lib. 1. obs. 12. Don. Vult. Givh. in d. §. fin. Inst. hic.

(c) Videatur Suerin. in repert. lect. 37. Vacon. à Vacun. lib. 6. declar. 85.

### *XXV.*

Secundò considerandum venit, quod expressa vulgaris pro ratione personarum continet etiam tacitam



ram pupillarem. Et matrem atq; alios adscendentes propter iudicium testatoris à successione filij excludit secundùm veriore[m] Doctorum sententiã, (a) quamvis multi contradicant.

(a) Ratio, Quia substitutus succedit testatori, non instituto. Igitur non ad huius, sed ad illius bona pervenit. 2. Quia conjugi suæ jure civili nihil debet. 3. Cessat conjectura, quod testator uxorem suam matrem filij, substituto præferre voluerit. Et 4. eadem est virtus taciti, quæ expressi, l. cum quid 3. ff. si cert. pet. c. si patrem de Test. in 6. Gomez. 1. var. re sol. 4. n. 26. Coadunatur hæc sententia Const. Elector. part. 3. const. 8. n. si quod legitimã præterita matri ex æquitate assignat

### XXVI.

Sic tertio & hunc effectum habet, quod quemadmodum per expressam vulgarem, sic etiam per tacitam confirmetur testamentum, aditione heredis destitutum, & à substitutione incipit.

*l. jam hoc jure 3. hic. Chiff. c. 14. Intrig. cent. 1. q. 88.*

### XXVII.

Quarto: Pluribus copulativè & conjunctim institutis, ut: Mævius & Titius heredes sunt, & si heredes non erunt, Cajus heres esto (a) vel simpliciter seu indefinitè: Si Titius & Mævius heredes non erunt, Cajus heres esto; hoc casu uno ex omnibus adveniente, expirat Substitutio. (b) Quando verò Substitutio separatim, expressè vel alternativè (c) (ut: Si Titius vel Mævius heredes non erunt, Cajus heres esto, vel distributivè, (d) ut: Titius & Mævius heredes sunt, & si quis ex jam dictis heres non erit, Cajus heres esto,) facta est, unius aditione non expirat substitutio, quoad omnes, sed uno ex scriptis heredibus decedente substitutus in ejus locum vocatur.

(a) *l. qui duobus 28. D. de cond. & demonstr. Nam omnes pro uno herede habentur, & qui adit hereditatem, reliquos representat. Grass. q. 15. n. 2.*

(b) *Quia indefinita æquipollet universali, quæ in uno falsa in omnibus falsa existit, l. si is qui 13. §. utrum ff. de reb. dub. Et ad veritatem co-*

*pula*



- p*ulativæ necesse est, utramq; partem verã esse, l. si quis ita 129. de V. O.  
 (c) hoc casu sufficit, conditionem in unius persona impleri, quia in alternativis sufficit, unam partem impleri, d. l. si quis ita 129. de V. O. c. in alternativis, de R. I. in 6.  
 (d) Quia idem juris est in persona distributiva, quod in alternativa. l. qui filiabus 17. §. pen. de leg. 1.

### XXVIII.

Porro, quando Substitutus hereditatem consequitur, tum legata ab instituto relicta substitutus præstare tenetur (a) non autem prælegata (b) Et si plures simul sunt instituti, & postea substituti, hereditas eodem modo inter substitutos dividitur, quo inter institutos, si aditione fuisset facta divisio. (c)

- (a) l. licet Imperator 74. de leg. 1. l. si à Titio 61. de leg. 2. l. quia poterat 4. ad SC. Trebell.  
 (b) l. sextam 32. de leg. 3. l. miles 75. de leg. 1. Quia ea heres vindicare potest, Menoch. 4. præf. 194. n. 38. & præf. 195. n. 4.  
 (c) §. Etsi 2. Inst. hic.

### XXIX.

Extingvitur Substitutio aditione hereditatis, (a) ejusdem repudiatione, (b) Substituto ante conditionis existentiam decedente, (c) eaq; apposita deficiente & aliis modis. (d)

- (a) l. post aditam 5. C. h. t. Ratio, Quia existente conditione, si sc. heres erit, substitutioni locus non est. Gomez. var. resol. 1. c. 3. n. 33. Tholos. lib. 42. c. 16. n. 11.  
 (b) l. si nemo, de R. I. l. recusari 95. ff. de acquir. vel omitt. l. recusare 6. ad SC. Trebell.  
 (c) Nec enim jus substituti transitorium est ad heredes, l. si ex pluribus 9. ff. de suis & leg. her. l. un. §. cum autem 13. C. de cond. inf.  
 (d) Veluti si substitutus necaverit institutum l. si ab hostibus 10. §. fin. ff. sol. matr.

Et tantum de vulgari Substitutione.

F I N I S.



155254

ULB Halle

3


006 685 17X



R VD 17








2  
P  
M







6

D. O. M. A.

DE

SVSTITVTI-  
ONIBUS

*Disputatio prima*

Vulgarem in specie continens,

*Quam*

LEOPOLDUS HAKELMAN,  
J. U. D. & Facultatis Juridicæ Ordinaris

*Ad*

*Diem 20. Junij*

hora & loco consvetis

publicè examinandam proponit,

*Respondente*

CHRISTOPHORO PINCKERO  
Misenfi, L. L. Studiofo.

LIPSIÆ,

TYPIS NERLICHIANIS.

EXCUDEBAT JOHANNES HERMANNUS.

Anno 1616.

926